

Johann von Mecheln

fol. 100<sup>r</sup>

humiliter matrem meam universitatem rogaret, ut ipsa in proximis triginta et triginta florenorum pensionibus graciose secum agere dignaretur. Concluserat concorditer, quod ego<sup>q)</sup> rector acciperem ad me illos xxx florenos et quod per illos satisfacisset de termino, qui erat in festo Martini [11. November] anni xxxi. De temporibus autem preteritis facere deberet iuxta ordinationes et convenciones inter universitatem et eum plebanum factas et habitas et hoc iuxta formam expressam in precedentibus in pluribus passibus eiusdem libri, et hoc de primo. Quantum vero ad 2<sup>m</sup> punctum conclusum erat, quod iuxta suam petitionem secum graciose ageretur, sic scilicet, quod xxx florenos, quos solvisset matri mee universitati in festo cathedre Petri [22. Februar] una cum aliis xxx florenis solvendis in festo Martini proxime futuri infra octavas eiusdem<sup>r)</sup> festi Martini predicti [18. November] transmitteret venerabili viro Iohanni de Rysen notario<sup>s)</sup> decretorum doctori, qui quidem doctor in eadem convocatione per matrem meam universitatem matura deliberacione prehabita constitutus fuerat in procuratorem, sindicum etc. ad levandum a prenominato plebano huiusmodi debita et pensiones et eciam ad ipsum de predictis quitandum etc., prout hoc plenius immediate in instrumento subscripto continetur, dummodo tamen<sup>t)</sup> matri mee universitati de hoc omni anno rationem redderet prefatus doctor. 5  
10  
15  
20

[1432 Juni]

<sup>u)</sup>Rectoratus magistri Iohannis de Mechelinea sacre theologie  
baccalarii formati

Anno domini m<sup>o</sup> cccc<sup>o</sup> xxxii in vigilia sancti Iohannis baptiste facta plena congregacione omnium regencium magistrorum et doctorum modo consueto electus fuit concorditer in rectorem universitatis studii Heydelbergensis nemine discrepante magister Iohannes de Mechelinea sacre theologie baccalarius formatus, in cuius rectoratu acta sunt infrascripta. 25

<sup>v)</sup>Primo facta congregacione omnium suppositorum universitatis prefate sub pena prestiti iuramenti die xxix iunii rector publicavit statuta statum et honorem studencium concernencia premissa quadam arenga, pro cuius 30

<sup>q)</sup> mit Verweiszeichen auf dem Rd. nachgetr. A <sup>r)</sup> folgt festu gestr. A <sup>s)</sup> so die Spuren auf dem Rd. wohl zu ergänzen A <sup>t)</sup> mit Einfügungszeichen unter gestr. autem A <sup>u)</sup> Handw. A <sup>v)</sup> Handw. A